



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Linda Mariana, Sive De B. Virgine Lindensi

Clagius, Thomas

Coloniae Vbiorvm, 1659

Sereniſſimo Principi, Ioanni Casimiro, Regi Poloniae, Magno Dvci Lituaniae,

...

urn:nbn:de:hbz:466:1-11544



Serenissimo Principi,

IOANNI CASIMIRO,
REGI POLONIÆ, MAGNO DVCI
Lituanix, Rusix, Prussix, Masovix, Samogi-
tix, Livonix, Czernichovix, &c. &c.

DVCI,

Nec non

GOTHORVM, VANDALORVM,
&c. &c. HEREDITARIO REGI,

*Suo, & Collegii Resselens. Soc. Iesu nomi-
ne, Author.*



Vum est, proinde uni Tibi, M A-
GNE REX, ex asse reddendum,
quidquid hoc opere, quã submis-
sissimè exhibetur Majestati Tuæ.

Si quis cultum MARIANUM spectet, Tuus
is est; quem ab ipso vitæ exordio, quasi cum
lacte hausisti; & maximis tota vitâ, augmen-

)(2

tis,

DEDICATIO.

tis, nuperrime verò, etiam publico voto,
 MAGNAE DEI MATRI nuncupato, sanxi-
 sti. Quo quidem voto, Regni quoque uni-
 versi nomine, Kal. April. Anni M DC LVI.
 ad principem Basilicæ Aram Leopoli edito,
 eadem DEI MATER, REGINA POLONIAE
 abs Te constituta, dicati delatiq̄ue sibi Regni
 habenas ita amplexa est, ut eodem ferè
 momento, tot, & tantos Tui, quàm & Chri-
 stianæ Rei universæ hostes, ad ruinam impu-
 lerit; Te verò, unà cum Tuis, ad Triumphos
 provexerit propemodum inauditos. Vox or-
 bis est, ab eo momento, non armis, sed mira-
 culis abs Te, Tuisq̄ue in hostes pugnatum.
 Quamquam & antè, etiam illa miraculo pro-
 piora videri poterant, cum Tu, Regum for-
 tissime, adversa omnia, decumanis planè flu-
 ctibus, in Te, Regnumq̄ue Tuum ingruen-
 tia, adverso æquè atque infracto pectore sem-
 per excepisti. Iam, si quis in eundem, apud
 Lindam MARIANAM, DIVAE VIRGINIS
 cultum oculos flectat, etiam ille Tuus est:
 quia SIGISMUNDI III. & CONSTANTIAE,
 serenissimorum Regum & Parentum tuo-
 rum, curâ & labore potissimum restitutus,
 Tuo insuper exemplo maximopere auctus &
 amplificatus est, quando nuper extra regnum
 Tuum

DEDICATIO.

Tuum positus , Voto DIVAE LIN-
 DENSI Te devinxisti , & , simulac fines
 Regni postliminio ingressus es , nihil habu-
 isti antiquius , quàm ut apud Lindam eo voto
 coràm defungerêre. Quod quidem Anno se-
 culi hujus , supratricessim octavo , me et-
 iam spectante , ritè piissimèque à Majestate
 Tua perfectum est. Tuus insuper est idem
 cultus , quia præsidium ac patrocinium Lin-
 dæ MARIANAË , ad Majestatem Tuam
 unicè spectat. Sic enim , qui Lindam nuper re-
 staurâunt , extremis tabulis cautum volue-
 runt : sic & serenissimus Parens Tuus SIGIS-
 MUNDUS cavit ; qui suo , quin & Tuo , quia o-
 mnium Poloniæ Regum nomine , *Ius* , ut vo-
 cant , *Patronatus* ad Lindam fulcepit. Ad ex-
 tremum , si ipsum scribendæ istius historiæ la-
 bore , qualiscunque tandem ille sit , respice-
 re Majestas Tua non dedignetur , etiam
 hic Tuus erit. Qui primus , sub annum Dom.
 MDCXXVI. historiam Lindensem paucis
 complexus est , non alii , quàm serenissimo pa-
 renti Tuo dedicandum censuit : & ego , præter
 tanti Regis Filium , Poloniæ itidem Regem ,
 paternarumque virtutum omnium heredem
 alium quæsierim patronum ? Quid , quòd hic
 ipse labor , alio quoque , & quidem potiore Iure
 Tuus

DEDICATIO

Tuus est? quippe in collegio Tuo Resselien-
 si inchoatus, majoremque partem absolutus
 est, tuo, inquam, Ressel. collegio, quoniam
 id, & serenissimorum parentum tuorum au-
 spiciis cœptum; & serenissimi Card. Ioannis
 Alberti, Fratris tui liberalitate, non leviter
 provectum; & tuâ demum munificentia per-
 fectum est: ut non alio quàm Te, fundatore
 gloriatur; atque inde quoque, Majestatis Tu-
 æ nomine commissam sibi LINDAE MA-
 RIANA E provinciam administrat. Quod, ut
 ex omnium mortalium usu & commodo sem-
 per faciat, duo, præ cæteris, suo ejusdemque
 collegii nomine, Majestati Tuæ precatur
 Author; alterum quidem, ut novo voto,
 quod ante præsens bellum, DIVAE LINDEN-
 SI Majestas tua iteratò nuncupavit, quàm
 citissimè felicissimèque coràm defungatur;
 alterum verò, ut ejusdem DIVAE præsidii,
 non collegio duntaxat & regno tuo, verùm
 & Ecclesiæ DEI, & universæ rei Christianæ,
 sospes & incolumis quàm diutissimè conser-
 vetur.

*Colonia Agrippinæ, Idib.
 Novemb. MDC LVIII.*

INDEX